

apostolica auctoritate reprobata, atque damnata esse, & censeri debere; nec ulli licitum esse contra doctrinam in praefato nostro Brevis contentam docere, scribere, aut loqui, eamque impugiare, aut perverse interpretari, vel ipsi actu contraire, sub penis adversus tuentes, asserentes, aut tradentes opiniones scandalosas, perniciosas, & uti tales a Sede Apostolica reiectas, & condemnatas, & respective adversus contrafacientes mandatis apostolicis, & ecclesiasticis sanctionibus, statutis, atque praescriptis.

Alla ad rem vide verb. Moniales art. 1. num. 18. verb. Paenitentiae Sacramentum n. 89. & 90.

20 * Complices, seu Socii criminis a poenitentibus revelari non debent; Benedict. XIV. tom. 1. constit. 134. incip. Suprema. Complicum nomina a poenitentibus exquiri, denegando absolutionem, prohibetur; idem tom. 2. constit. 8. incip. Ubi primum; vide supra n. 13. ubi omnia ad rem.

21 Quid de Confessariis absolventibus suos complices, in delicto carnis, & de talibus confessionibus; vide supra a num. 1. ad 3. & infra verb. Confessarius.

22 Hic juvat adducere, utpote scitu summe necessarium, declarationem super constitutione, quae incipit: Sacramentum Poenitentiae, ab eodem Benedicto XIV. editam tom. 1. constit. 120. incip. Apostolici muneris, ibi:

23 "Apostolici muneris partes in procuranda praecipue rerum sacrarum pura, illibataque penitus administratione versari debere probe intelligentes, non modo & assiduis hortationibus, & justa, ubi res postulat, legum severitate, ut ab ecclesiasticis quibusque Ministris Sancta sanctae tractentur, quantum cum Domino possimus, providere studemus; verum etiam leges ipsas, ne forte sinisteris interpretationibus in alterutram extremam partem, aut immoderati rigoris, aut detestabilis laxitatis perperam detorqueantur, opportune communitate, ac roborare, pro earumdem tuendo vigore, cum occasio poposcerit, non praetermittimus.

24 §. I. "Sane cum Nos, alias per quamdam nostram constitutionem, cujus initium est: Sacramentum Poenitentiae anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quadragesimo primo Kalendis Junii Pontificatus nostri anno primo editam, omnibus, & singulis Sacerdotibus tam secularibus, quam regularibus, interdixerimus, & prohibuerimus, ne aliquis eorum, extra casum extremae necessitatis, nimirum in ipsis mortis articulo, & deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit, Confessionem Sacramentalem personae complicitis in peccato turpi atque inhonesta, contra sextum Decalogi praecipuum commissio excipere audeat; ita ut absolutio, si quam impetiverit, nulla, atque irrita omnino esset, tamquam impetrata a Sacerdote, qui jurisdictione, & facultate ad valide absolvendum necessaria, ipsi per Nos vigore ejusdem constitutionis adempta, privatus existere, & alias prout in memorata constitutione, cujus tenorem praesentibus pro plene, & sufficienter expressimus, & inserto haberi volumus, uberius dicitur contineri. Cum non subinde super ea dictae constitutionis parte, quae mortis articulum respicit, dubitationes quasdam exortas fuisse acceperimus, quarum resolutionem privato cujusque iudicio relinquendam minime existimamus, ne Lex in certis conjecturis, & opinionibus facta, in sensus a mente Nostra alienos forsitan distrahatur, ejusque vigor paulatim langueret, atque enervetur.

25 §. II. "Hinc est, quod Nos omnem dubitandi rationem, quantum cum Domino possimus, de medio auferre cupientes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolica potestate plenitudine, memoratam constitutionem nostram, cum omnibus, & singulis in ea contentis, tenore praesentium, quatenus opus sit, confirmamus, illamque integre, penitus, & omnino, atque ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcussa observari praecipimus, & mandamus. Praeterea habita super his cum Venerabili Fratris Nostri Vincentio Episcopo Praenestino Sanctae R. E. Cardinali Petra nuncupato Poenitentiarum Nostro Majori

26 "ri, ac dilectis Filiis Officii Poenitentiarum Apostolicae Ministris, qui rem jussu Nostro mature perpendunt, deliberatione, motu, scientia, & potestate plenitudine paribus edicimus, ac declaramus. eadem constitutione singulis, ut supra, Sacerdotibus quemadmodum interdictum non est in mortis articulo personam in praedictum turpi peccato complicem consentientem audire, atque ab hujusmodi quocumque culpa rite contritum absolvere, deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Concessarii munus obire possit, ita interdicti re ipsa, & prohiberi praedicto modo tunc audire, & absolvere, ut si alius aliquis Sacerdos non defuerit, etiamsi forte iste nullus simplex tantummodo Sacerdos fuerit, sive aliis ad confessiones audiendas non approbatus, possit nihilominus ipse Sacerdos simplex confessionem excipere, & absolutionem impertiri.

§. III. "Porro, si casus urgentis qualitas, & concurrentes circumstantiae, quae vitari non possint, ejusmodi fuerit, ut alius Sacerdos ad audiendam constitutionem in dicto articulo personae confessionem vocari, ut accedere, sine gravi aliqua exortura infamia vel scandalo nequeat; tunc alium Sacerdotem perinde haberi, & censeri que posse, ac si revera abesset, atque deficeret, & proinde in eo rerum statu, non prohiberi socio criminis Sacerdoti absolutionem poenitentis ab eo quocumque criminis impertiri. Sciat autem complex ejusmodi Sacerdos, & serio animadvertat, fore se re ipsa coram Deo, qui irrideri non potest, reum gravis adversus praedictam nostram constitutionem inobedientiae, & latissimae in ea poenis obnoxium, si praedicta infamia, aut scandali pericula sibi ulro ipse configat, ubi non sunt: immo intelligat, teneri se graviter hujusmodi pericula, quantum in se erit, antevertere, vel remove, opportunitate adhibitis mediis, unde fiat ut alteri cuius Sacerdoti locus pateat illius confessionis, absque ullius infamia, vel scandalo audienda. Ita enim ipsum teneri vigore memoratae nostrae constitutionis declaramus, & nunc quoque ita ipsi faciendum esse districte mandamus, & praecipimus.

§. IV. "Quod si idem Sacerdos, aut quovis modo sese nulla gravi necessitate compulsus ingrederet, aut ubi infamia, vel scandali periculum timetur, si alterius Sacerdotis opera requirenda sit, ipse ad id periculum navigandum congrua media adhibere de industria neglexerit, atque ita personae in dicto crimine complicitis, exequit in articulo, ut praefertur, constituta sacramentalem confessionem excipere, ab eoque crimine absolutionem largiri, nulla, sicut praemittitur, necessaria causa cogente, praesumpserit, quamvis hujusmodi absolutio valida futura sit, dummodo ex parte poenitentis dispositiones a Christo Domino ad Sacramenti Poenitentiae valorem requisitae non defuerint, non intendimus enim, pro formidando mortis articulo eidem Sacerdoti quantumvis indigno, necessariam jurisdictionem auferre, ne hac ipsa occasione aliquis pereat: Nihilominus Sacerdos ipse violatae ausu ejusmodi temerario legis poenas nequaquam effugiet, ac propterea latam in dicta constitutione, majorem excommunicationem, eodemque plane modo, quo ibidem decernitur, Nobis, & huic Sanctae Sedi reservatam, incurret, prout illum eo ipso incurrere declaramus, volumus, atque statuimus. Non obstantibus omnibus, & singulis illis, quae in praefata nostra constitutione volumus non obstantibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. V. "Volumus autem, ut earumdem praesentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillis personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra illud ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, nisi forent exhibitae, vel ostensae.

"Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Anno Piscatoris die 8. Febr. MDCCXLV. Pontificatus nostri anno quinto." = D. Cardinalis Passionei.

Alla ad rem, vide verb. Moniales art. 1. n. 18. verb. Poenitentiae Sacramentum n. 89. 90. & infra verb. Confessarius art. 4. n. 22. ad 28.

COMPOSITIO SUPER LEGATIS relictis Fratribus Minoribus.

Vide verb. Legatum a num. 97. ad 100.

COMPOSITIO DEBITORUM cum creditoribus.

Vide verb. Restitutio art. 5. a num. 30. ad 35. & a num. 41. ad 59.

COMPROMISSUM quoad arbitros.

Vide verb. Arbitr per tot.

COMPROMISSUM quoad electionem.

Vide verb. Electio art. 1. a num. 24. ad 31.

CONCILIIUM. ARTICULUS I.

De his quae concernunt Concilium ut sic, & Concilium Generale.

SUMMARIUM.

- 1 Concilium unde sit dictum, ecclesiasticum vero quod duplex, ad n. 6.
7 Ad quem spectet Concilii Generalis convocatio, ad num. 21.
22 In casu schismatis an possint unquam Cardinales Concilium Generale convocare, ad num. 26.
27 Quinam de jure vocandi sint ad Concilium Generale, ad num. 29.
30 Quinam autem ex privilegio, ad num. 32.
33 An Principes suffragium decursum in Conciliis Generalibus habeant, ad num. 44.
45 Quinam jus praesidentis auctoritative competat in Conciliis Generalibus, ad num. 47.
48 Non una tantum datur Conciliorum Generalium praesidentia, ad num. 54.
55 Quinam competat jus confirmandi auctoritative Concilia Generalia, ad num. 60.
61 Quotuplex sit confirmationis ratio, qualis, & ad quem unaqueque pertineat, ad num. 65.
66 Agitur de Conciliorum Generalium infallibilitate, ad num. 73.
74 Quot sint, & quae Concilia Generalia ab ecclesia totaliter approbata, ad num. 75.
76 Utrum Generale Concilium sit supra Papam; ac possit ab illius definitione ad hujus auctoritatem provocari, ad num. 87.
88 Additiones ex aliena manu, ad num. 92.
93 Add. noviss. ad num. 111.

1 CONCILIIUM dicitur a Con, & cilium, quia ibi omnes congregantur, ut conveniant, sicut cilia oculorum, dum clauduntur, conveniunt, secundum Hug. & Archid. in cap. Canones num. 1. dist. 15. & Fagnan. in cap. Ex part. 2. de Capellis Monachorum. num. 10. Unde in cit. cap. Canones 1. dist. 15. sic expresse dicitur: "Cilia enim oculorum sunt; unde qui sibi met dissentiant, non videntur Concilium, quia non consentiunt in unum..."

"Concilii vero nomen, dicitur ipsemet Canon, tractum est ex more Romano; tempore enim, quo causa agebatur, conveniebant omnes in unum, communique intentione tractabant; unde Concilium a communi intentione dicitur quasi consilium; quasi consilium dicitur in leg. liberam consentiente. Sic, ut observat Silvester verb. Concilium num. 1. a societate multorum in unum concedentium appellatur. Concilium igitur, quod Graeci Synodum appellant, quantum ad nostrum propositum sumitur pro coetu, seu pro conventu Sacerdotum, maxime Episcoporum, pro resolvendis rebus fidei, seu aliis gravioribus ecclesiae negotiis, a legitimo Superiore congregatorum. Et Concilium sic appellatum est triplex, scilicet generale, provinciale, & episcopale. Concilium generale, seu oecumenicum est illud, ad quod a Summo Pontifice convocantur omnes Episcopi totius orbis, ut in generali conventu conveniant, nisi canonico impedimento fuerint praepediti; cap. Placuit dist. 18. & cap. Ego 4. de iurisdictione. Concilium provinciale est illud, quod congregatur ex Suffraganeis certa provinciae auctoritate Metropolitanis ad definiendas causas spirituales illius provinciae, quae non sunt ex majoribus, Summoque Pontifici reservatis; & nomine Concilii provincialis venit etiam Concilium nationis, in quo videlicet omnes Archiepiscopi, & Episcopi certa nationis sub uno Primato, vel Patriarcha conveniunt. Concilium episcopale (seu synodus dioecessana) est illud, quod ab idem metropolitano, & finem; ac provinciale, congregatur auctoritate Episcopi dioecessani.

"Concilium generale absque auctoritate Romani Pontificis celebrari non potest; cap. Synodum 1. cap. Regula 2. & cap. Multis 5. dist. 17. cum similibus; & constitut. Pelagii II. incip. Manifesto, ibi: Generale Synodum convocandi auctoritas Apostolicae Sedi Beati Petri singulari privilegio est tradita. Constituit. Leonis IX. incip. Cum ex eo: ibi: Nolo vos lateat, non debere praeter sententiam Romani Pontificis universale Concilium celebrari. Constituit. Pii II. incipit. In minoribus: ibi: Inter Concilia nullum invenimus unquam fuisse ratum, quod itante Romano indubitate Praesule, absque ipsius auctoritate conveniret; quia non est corpus ecclesiae sine capite; & omnis ex capite defluit in membra potestas. Constituit. Leonis X. incip. Pastor aeternus: in Conc. Lateran. sess. 11. r. 4. Conc. part. 2. pag. 120. ibi: "Solum Romanum Pontificem pro tempore existentem tamquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum indictionum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus & potestatem habere nedum ex sacrae scripturae testimonio, dictis SS. Patrum, ac aliorum Pontificum praedecessorum nostrorum, sacrorumque canonum decretis, sed propria etiam eorumdem Conciliorum confessione manifeste constat;" & ibi Pontifex aliqua talia Concilia recenset. Unde Concilium non dicitur, sed Conciliabulum, seu Conventiculum, quod sine auctoritate Romani Pontificis celebratur; cap. Multis dist. 17. ubi ex Pelagio II. scribente ad Episcopos, qui conveniant ad Concilium universale a Joanne Patriarcha Constantinopolitano temere convocatum, sic habetur: "Multis apostolicis, & canonicis; atque ecclesiasticis instrumitur regulis, non debere absque sententia Romani Pontificis Concilium celebrari. Quapropter recte non Concilium, sed vestrum conventiculum, vel conciliabulum cassatur, & quicquid in eo actum est, irritum habetur & vacuum." Et hoc adeo verum est, ut etiamsi ab initio Concilium fuerit auctoritate apostolica congregatum, tamen si postea per Romanum Pontificem dissolutum, aut alio translatum fuerit, ex tempore remaneat acephalum, & schismaticum, nec sit amplius Concilium, sed conciliabulum; cap. Clericus 24. quest. 3. & cap. Submititur d. 21. ibi: Alioquin acephalum liquet esse Concilium. Et fuit definitum in Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 11. tom. 4. concilior. part. 1. pag. 120. col. 2.

Hinc tamquam conventicula, & conciliabula fuerunt semper reprobata Concilia, quae vel non a Summo

Romano Pontifice, vel non ejus auctoritate ab Imperatoribus indicta sunt. Hoc titulo reprobatur est in Synodo Romana à Gregorio II. Conciliabulum Constantianopolitanum trecentorum Episcoporum congregatum anno 730. eodem Gregorio renitente à Leone Isauro Imperatore. Eadem ratione in Concilio Romano à Stephano IV. anno 769. rescissa sunt acta conciliabuli Constantianopolitani pseudo-septimi universalis, à Constantino Copronymo Leonis filio congregati anno 574. Eadem causa in Concilio Lateranensi V. reprobatur est conciliabulum Pisanum contra Julium II. Papam indictum anno 1511. Sic ab Eugenio IV. anno 1433. fuerunt cassata, irritata, & annullata omnia, & singula statuta, & decreta edita à Concilio Basileensi, postquam ab ipso fuerat ibi dissolutum, & Bononiam, inde Ferrariam, & ultimo Florentiam translatum. Et sic de ceteris dicendum cassata, & infirmata esse Concilia, quæ absque auctoritate Romani Pontificis convocata, seu continuata esse constat, & inter acephala, & schismatica conciliabula numeranda esse. Nec juvat objicere, quod olim Imperatores convocabant ipsi Concilia, quæ tamen sunt habita ut vera, canonica, legitima, & œcumenica Concilia, & non conventicula, & conciliabula, ut patet de Nicæno primo convocato à Constantino Magno; de Constantianopolitano primo à Theodosio Seniore; de Ephesino à Theodosio Juniore; de Chalcedonensi à Martino, & sic de aliis. Non juvat, inquam, sic objicere, quia respondetur, quod tales Imperatores, & alii, qui convocarunt Concilia, non convocarunt *coactiva*, & *auctoritative*, sed solum *exhortative*, & *opulative*. Hæc enim est differentia inter Pontificem, & Imperatorem in convocacione Conciliorum; Papa indicit Concilia auctoritative, & potestative mandat Episcopis congregari; Imperator vero exhortative, & opulative, in quantum suadet, & exhortatur, immo tamquam executor mandati, & voluntatis pontificis opitulatur, ac brachium, & adjutricem manus porrigit, ut tuto Patres congregentur, defendantur, & definita juxta Romani Pontificis determinationem executioni mandentur, atque ita Romanus Pontifex effiacius, & facilius in convocacione Concilii suum consequatur intentum. Unde ubi legitur, Imperatores, sive Reges Concilia indixisse, debet intelligi, quod ipsi hoc fecerint, vel mandante, vel consulente, vel exhortante ad id Romano Pontifice, ut *dist. 17. per totum*, & prout D. Gregorius *l. 4. epist. 1.* exhortatur Theodorico Gallie Regem ad eliminandam simoniam, & ad indicendam synodum in suo regno. Quod si aliquod Concilium generalibus reperitur convocatum ab Imperatoribus, & Regibus absque auctoritate, & consilio, & consensu Romani Pontificis, numquam potuit œcumenicum appellari, donec ipse Romanus Pontifex ratam ex suo beneplacito, & assensu haberet illius convocacionem: per subsequentem enim confirmationem robur tunc obtineret, & de conciliabulo legitimum Concilium evaderet. Et dato quod aliqua Concilia fuerint ab Imperatoribus, & Regibus coacta, Romano Pontifice contradicente, & numquam assentiente, tunc illa irrita, & nulla fuerunt: Immo expresse à Romanis Pontificibus cassata, & annullata, ut patet de adductis supra *n. 11. 12. 13. & 14.* Hac enim in re jus, non factum, est attendendum; & non tantum quid, sed quo jure factum fuerit, oportet expendere. Conciliorum enim convocacio ad solum Romanum Pontificem spectare certum est, ex adductis supra *n. 7.* Etiam si de ejus causa agatur, ut statuit Julius II. constit. *27. incipient. Sacrosancta.* (Consonat *lex 5. tit. 5. p. 1. lit. A. pag. 140. col. 2. 159. col. 2. lit. D. pag. 45. 79. & 148. in add. hisp. novis.*)

In casu schismatis existentibus pluribus dubiis Pontificibus, possunt Cardinales Concilium convocare, & præcipere, ut Pontifices contententes, pontificatu se abdicent, quod ni fecerint, possunt eos sententia lata à pontificatu dejicere, omnesque Christianifideles ab eorum obedientia absolvere, ipsisque præcipere, ne eos ullo modo pro Pontificibus agnoscant, & venerentur, sed eum ut legitimum teneant, qui à Cardinalibus canonice postea eligetur. Et de facto ad tollendum schisma, quod diu, & valde ecclesiam exagitavit, contententi-

bus de Papatu Gregorio XII. & Benedicto XIII. Pisis per Cardinales utriusque partis congregatum fuit Concilium anno 1409. cui ex utraque factione interfuerunt viginti sex Cardinales (sunt ut alii voluit viginti tres), tres Patriarchæ, Alexandrinus, Antiochenus, & Hierosolymitanus: Archiepiscopi, & Episcoporum octoginta: Abbatum, & Theologorum ingens numerus: Et adfuerunt pariter Oratores Regum Franciæ, Bohemiæ, Angliæ, Jerusalem, Cypri, Siciliæ, Poloniæ, & aliorum Principum. In eo igitur Pisano Concilio, duo scilicet Gregorius dictus XII. & Benedictus dictus XIII. de Papatu contententes accusati sunt, quod concordiam contra jusjurandum, & fidem datam ad pacem ecclesiæ dandam finire recusarent; hinc juridice & peremptorie ipsis citatis, & subinde non comparentibus, probataque prius eorum notoria in schismate contumacia, fuit in eos tamquam schismaticos, perjuros, & schismaticorum fautores, pronuntiata è prætenso eorum pontificatu sententia depositionis, & declaratum Ecclesiæ Romanæ vacare, & omnes ab eorum obedientia fuerunt absoluti. Exinde à Cardinalibus conclavè ingressis electus Petrus Philargi ex meo Minorum ordine, Archiepiscopus tunc Mediolanensis, & Cardinalis, magnæ viri sanctitatis, & doctrinæ conspicuus, qui appellari voluit Alexander V. Et quamvis non defuerint, qui dubitarent de legitimitate hujus Concilii; tamen cum diu Florentiæ disputatum esset à Laurentio Rodulpho, tandem conclusum fuit licite, & canonicè Concilium in tali casu convocari, & fieri potuisse; quæ fuit quoque sententia Universitatum Parisiensis, & Bononiensis, à quibus hæc fuit Concilio directa: "Stante dubio inextricabilis Patris propter dubium facti, & juris, ne in subversio-nem fidei ecclesiæ sic maneat perpetuo divisa cum tanto scandalo, & animarum perditione, provisio spectat ad Concilium, ut utrumque, eis non cedentibus, possit à Papatu ejicere." Et legitimitas hujus Concilii, & electionis Alex. V. aperte comprobatur ex quo Alexand. V. in catalogo legitimum Pontificum communiter reponatur.

Ad Concilia generalia vocandi sunt de jure solum Episcopi, & majores Prælati, scilicet Patriarchæ, Primates, & Archiepiscopi, ut notant Innocent. & Joann. Andreas, in *cap. Grave, de præb. & alii communiter*, ad quod facit *cap. Episcopus 9. cap. Placuit 10. cap. Si quis 12. cap. Si Episcopus 13. cap. Si quis Episcoporum 14. & cap. Propter 15. dist. 18. cum similibus.* (Vid. *sup. proxime.*) Ad omnes istos spectare de jure, & officio in Conciliis generalibus jus suffragii decisivi, communis Catholicorum sententia est; quia cum isti sub Romano Pontifice sint pastores ecclesiarum, ad eos pertinet ex officio sub eodem causas fieri, decernere, & negotia ecclesiastica in Conciliis œcumenicis legitime congregatis tractare. Immo eodem suffragii decisivi jure gaudent etiam Episcopi titulares, & ideo etiam ipsi sunt de jure vocandi ad generalia Concilia; licet enim à tyrannicis infidelibus sint occupatæ ecclesiæ, ad quorum titulum sunt ordinati, & consecrati Episcopi; & consequenter in actu secundo careant jurisdictione, ex quo non habent territorium actuale, in quo subditis jus dicere possint, &c. retinent tamen jurisdictionem in actu primo quoad suas titulares ecclesiæ, quæ potest dari (& utinam in infidelium, & sic etiam in actu secundo habeant territorium, in quo subditis, sicuti omnes alii Episcopi, jus dicere possint. Ex privilegio autem, & consuetudine vocandi sunt ad Concilia generalia cum suffragio decisivo Cardinales etiam non Episcopi, Abbates, & Ordinum Regularium generales; Bellarminus *lib. 1. de Conciliis c. 15. & communis Catholicorum.* Ad Concilia generalia solent vocari etiam aliqui insignes Theologi, & sacrorum canonum Doctores, non quidem pro suffragio decisivo, sed solummodo pro voto consultivo. Principes etiam ad Concilia generalia solent invitari, ut per se, vel per suos Oratores intersint, tum ut Concilium defendant, & scandala, seu novitates Novatorum compescant, ut *cap. Quia Sancta 28. §. Verum dist. 63.* tum ut testes, & concilii decretorum Concilii, postea transgressores, & contumaces penis corporalibus pu-

puniant; Bellarminus *loc. cit.* ubi dicit, hanc esse sententiam communem Catholicorum, & sic patere, tum ex personis, quæ interfuerunt Concilio Tridentino, tum ex Turrecremata *lib. 3. cap. 12. & 15.* aliisque Catholicis Auctoribus.

Ipsi autem Principes, sive Imperiali, sive Regali, sive alia quacumque dignitate præfulgent, & quicumque alii laici quacumque scientia, doctrina, & juris utriusque peritia conspicui, in Conciliis generalibus suffragium decisivum non habent; Sic *communis Catholicorum* contra Lutheranos, & Calvinistas, aliosque hæreticos: laici enim semper sunt ab ecclesiasticis negotiis ut iudices excludendi, *c. Messana de election. c. Debent de offe. judic. ordinar. cum similibus.* Et hoc fuit observatum etiam in veteri lege, ubi dubia Religionis, & eorum, quæ ad Deum pertinebant, decidere spectabant ad Sacerdotes, & non ad Laicos, ut *ex 2. Paralip. c. 19. ibi*: "In Jerusalem quoque constituit Josaphat Rex Levitas, & Sacerdotes, & Principes familiarium ex Israel, ut iudicium, & causam Domini judicarent habitatoribus ejus. Amasias autem Sacerdos, & Pontifex vester in his, quæ ad Deum pertinent, præsidet: Porro Zabadias filius Ismael, qui est dux in domo Juda, super hæc opera erit, quæ ad Regis officium pertinent." Sic etiam invenimus observatum ab exordio ecclesiæ in Concilio Apostolorum *Actor. 15.* ubi laici non habuerunt jus suffragii decisivi, sed facta per Apostolos, & Seniores disquisitione super questione de mosaicæ legis viribus, utrum necessariis esset illorum usus; Petrus sententiam definitivam pronuntiavit; Convennerunt Apostoli, & seniores videre de verbo hoc, id est, consultare: Cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos: Viri Fratres, vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Evangelii, & credere?" & controversiam decidit: *Quo facto*, dicit textus, *tacuit omnium multitudo*, etiam aliter sentientium, suo silentio definitivam sententiam Petri amplectens. Et de facto auctoritas decidendi dubia ad Religionem, & mores spectantia, & functio regendi ecclesiam, non laicis, sed solis Episcopis est demandata; *Actor. 20.* ibi *Attendite vobis, & universo gregi, in quo Spiritus Sanctus posuit vos Episcopos regere ecclesiam Dei.*

Et hæc demandata Episcopis auctoritatem, & sibi non concessam cognoverunt, & fassi sunt ipsimet Imperatores. Constantinus enim Magnus apud Rufinum *1. hist. c. 2.* in Concilio Nicæno requisitus, ut auditis quorundam Episcoporum querimonis iudex esset, illud dignum tanto Principe protulit: *Vos à Deo nobis dati estis Dei, & conveniens non est, ut homo iudicet Deos.* Theodosius Junior in Epistola ad Ephesinum Concilium, quæ extat *1. tom. ejusdem Concilii cap. 32.* *Illicitum est, inquit, eum qui non sit in Ordine Sanctissimorum Episcoporum, ecclesiasticis immisceri tractatibus.* Basilius Imperator in octava Synodo scribens ad Episcopos affirmat eos iudices Synodici potestatem divinitus accepisse; ubi nota, quod non sibi, sed Episcopis eam attribuit potestatem. *Et in actio. 4. ex Gravina tom. 4. p. 2. Cathol. præscript. disp. 2. art. 8. §. Confutatio num. 30.* legitur: *Imperatores nostri miserunt servos suos, qui Senatus vocantur, ut simus discretivi eorum, quæ geruntur, Auditores;* Quibus verbis, ut clare patet, Senatores illi fatentur se esse testes solummodo discretivos, hoc est, distincte cognoscentes ea, quæ per Patres in Concilio gerebantur; & plurimæ habentur consimiles Imperatorum, aliorumque principum confessiones, ex quibus patet, quod jus decisivi suffragii, & sententiam ferendi in Conciliis, competit solis Episcopis, & nullimode laicis quavis auctoritate, & dignitate, & doctrina fulgentibus, ut perperam prætendunt Hæretici protestantes, alique hujus farinae viri. Tum quia hoc non expectare ad laicos, sed ad solos Episcopos clare deducitur ex Concilii hucusque celebratis; omnium enim Conciliorum decreta ab Episcopis solis facta esse patet ex subscriptionibus; in omnibus enim Conciliis generalibus solos Episcopos subscripsisse, exceptis paucis Generalibus, quibus etiam Imperator subscripsit, sed

alia forma, quàm Episcopi: Episcopi enim definiendo, ut Iudices, Imperatores consentiendo, subscripserunt: Immo quibusdam etiam paucissimis exceptis, ut Florentino, Lateranensi, & Tridentino, quibus subscripserunt Abbates, & Generales Ordinum Regularium, nulli alii unquam, quamvis optimi, & doctissimi, sunt admitti in Conciliis legitimis ad suffragium decisivum, & consequenter ad definitivam subscriptionem; ut observat Bellarminus *lib. 1. de Conciliis c. 15.* Et per hoc supra *n. 30.* & *seq.* fuit dictum, quod solum ex privilegio, & consuetudine vocandi sint Cardinales non Episcopi, Abbates, & Generales Ordinum Regularium ad Generalia Concilia cum suffragio decisivo; & solum proferendo voto consultivo solere vocari aliquos insignes Theologos, & Canonistas, & ut Defensores, & pro ampliati-va observantia Conciliorum decretorum potissimum adjuutores, & executores solere vocari etiam Principes.

Soli Romano Pontifici competit jus auctoritative præsidendi, vel per se, vel per suos Legatos in Conciliis generalibus; *Est communis inter Catholicos*, contra Lutherum, Calvinum, Vigerium, & alios volentes, Imperatorem Concilio generali præesse, & ipsum sua auctoritate confirmare; solus enim Pontifex Romanus est omnium pastor, & à Christo primum habet in tota ecclesia, & is solus potest facere, ut reliqua ecclesiæ capita conveniant in nomine Domini *Matth. 18. vers. 20.* id est, auctoritate à Christo emanante; & vere non Tiberio Imperatori, sed Petro piscatori tradidit Christus claves, & regimen totius ecclesiæ suæ; *Matth. 16. vers. 19. & Joann. ultim. vers. 15.* Nec enim dixit Imperatori: *Pasce oves meas*, sed Petro: per quæ verba auctoritatis pontificis Christus subiecit, nedom Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos, sed etiam Reges, & Imperatores; idem enim est, ac si dixisset Christus Petro ex Chrysostomo in hunc locum, *Esto præpositus loco mei, & caput fratrum tuorum;* Unde sicut Christus in medio sedere eorum, qui congregantur in nomine suo, quibus obscura legis explicat *Joannis vers. 13.* sic etiam sedere debet Summus Pontifex in medio Episcoporum, tamquam Juxta Supremus; Christus enim plenissimam potestatem Petro, & successoribus ejus plenissime commisit; S. Cyrillus Alexand. apud S. Thomam contra errores Græcorum, *opuscul. lib. 1. c. 32. tit. de Romano Pontifice.* Cum ergo habeat plenissimam potestatem, non tantum convocare potest Prælatos ad Concilium, sed insuper in illo auctoritative præsidere tamquam supremus princeps sive per se, sive per legatos. Et revera in omnibus huc usque celebratis generalibus Conciliis semper præsedit auctoritative Romanus Pontifex sive per se, sive per suos legatos: Nec valet objicere, quod in multis generalibus Conciliis præsiderint Imperatores, ut Constantinus in Nicæno, Marcianus in Chalcedonensi, & sic de multis aliis: non valet, inquam, quia licet in aliquibus generalibus Conciliis maxime Orientalibus, præsiderint Imperatores præsentia honoraria, numquam tamen præderunt præsentia auctoritative; & per hoc notanter dicitur in conclusione, quod soli Romano Pontifici competit jus præsidendi auctoritative. Unde ad faciliorem intelligentiam notandum est, quod alia est præsentia auctoritativa, & alia est præsentia honoraria: Præsentia auctoritativa dicitur ab auctoritate proponendi in Concilio, quæ pertractanda sunt cum jure ferendi suffragium, & determinandi, ac decidendi, quæ expedire videntur, & insuper cum auctoritate coactiva compescendi etiam per censuras ecclesiasticas, & alia juris remedia, contradicentes, & rebelles, & contumaces, prout ex constitutione *11. Martini V. incipient.* Dum onus: Et hæc præsentia competit Romano Pontifici per proprietatem, quam suis legatis communicat, ut eisdem Conciliis, ipso absente, præsent, semper tamen cum subordinatione ad ipsum, ad quem spectat res ultimo decidere, & definire. Præsentia honoraria dicitur à loco honoratori, eminentiori, & digniori in consensu Concilii habito. Et hæc præsentia fatetur, Imperatores nonnullis Conciliis generalibus in Oriente celebratis præsedisse; cum ad ipsa nunquam interfuerint per se ipsos Summi Pontifices,

ut patet in Epistol. 17. Leonis Papæ ad Theodosium, & 47. ad Concilium Chalcedonense, ubi dicit, se non venire ad Synodum, quoniam id non patitur consuetudo, nec ulla prædecessorum habentur de hac re exempla; sed semper miserunt ad præsidendum auctoritate suos legatos, ante quos, utcumque tolerabilis esset, in loco eminentiori, & digniori, quam Summus Pontifex, si quibus tamen nunquam fuisset permissum sedere in loco eminentiori, & digniori, quam Summus Pontifex, si ipse personaliter interfuisset, ut patet in Concilio Florentino in initio, ubi nullatenus fuit permissum, ut Græci contendant, ut in summo loco sederet eorum Imperator, & Summus Pontifex præcederet.

Soli etiam Romano Pontifici competit jus auctoritative confirmandi Concilia generalia, & absque illius confirmatione decreta in illis robur non habent, ut colligitur ex cap. Regul. 7. cap. Nec licuit 4. cap. Multi 5. cap. Concilia 6. dist. 17. & habetur in cap. Significasti 4. de election. ibi: Cum omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ auctoritatem, & facta sint, & robur acciperint; & in constitutione Gelasii primi incipiente. Valde §. 16. ibi: Prima sedes (scilicet Romana) unanquamque Synodum confirmat sua auctoritate. Et de facto est praxis Patrum Conciliorum petere semper à Romano Pontifice confirmationem eorum, quæ in Concilio statuerunt, Patres Concilii Nicæni (quod fuit norma, & regula ceterorum) per epistolam synodicam petierunt à S. Silvestro, ut auctoritate apostolica decreta Concilii confirmaret; Nunc itaque (sunt propria eorum verba) ad vestre Sedis argumentum accurrimus roborare, & infra; Quidquid autem constitutum in Concilio Nicæno precamur vestri oris consortio confirmetur. Silvester autem petitioni Patrum annuens Concilium Nicænum confirmavit, ut sequitur: Quidquid in Nicæna Bithyniæ constitutum est ad robur Sanctæ Mariæ Ecclesiæ Catholice, & Apostolicæ, à Sanctis Sacerdotibus recemitis decem, & octo, nostro ore conformiter confirmamus; Omnes, qui ausi fuerint dissolvere definitionem Sancti, & Magni Concilii, quod apud Nicænam congregatum est, sub presentia piissimi, & venerandi Principis Constantini Augusti, anathematizamus. Firmo remanente Romano Pontificis jure Conciliorum generalium confirmandorum, monitum lectorem volumus, tum epistolam Concilii Nicæni ad Silvestrum, tum ejusdem Silvestri ad Concilium, nec non acta Romani Concilii hoc numero laudata, inter suppositilia scripta esse recensenda, ut omni cordati viri hodie faterentur. Consule Clariss. Constant. Congregationis S. Mauri censuram duarum illarum epistolarum, & illius Synodi, in appendice epistolarum RR. PP. pag. 51. & seq. Sic ex Concilio Romano III. sub eodem Silvestro celebrato anno 325. apud Bail. sum. tom. 2. Conc. recul. IV. Et similiter Patres, seu Legati, qui nomine Romani Pontificis in aliis Conciliis generalibus præcederunt, confirmationem petierunt, & obtulerunt ab ipso solo Romano Pontifice, ut omnibus aliis brevitate gratia relicti, constat ex Concilio Tridentino, in cuius fine habentur verba ipsa, quibus Patres ipsum Concilium à Pio IV. confirmari postularunt, ut sequitur: Illusterrimi Domini, Reverendissimique Patres, placeat ne vobis, ut ad laudem Dei omnipotentis huic Sacræ Oecumenicæ Synodo finis imponatur, & omnium, & singulorum, que tam sub sel. record. Paulo III. & Julio III. quam sub Sanctissimo Domino nostro Pio IV. Romanis Pontificibus, in ea decreta, & definita sunt, confirmatio nomine hujus Sanctæ Synodi per Apostolicæ Sedis Legatos, & Præsidentes à Beatissimo Romano Pontifice petatur; Patres responderunt: Placeat. Et confirmationem ab ipso Pontifice in executionem decreti petierunt Cardinales Moronus, & Simoneta, qui tunc Legati & Præsidentes erant; quibus Pontifex annuens, & Concilium confirmavit, omnibusque fidelibus observantiam præcepit, ut patet ex verbis propriis ipsius Pontificis, incip. Petitioni nomine Concilii Oecumenici Tridentini ad finem ipsius Concilii, & constat, incip. Benedictus Deus.

Nec officit, quod reperitur etiam plures Conciliorum confirmationes factæ ab Imperatoribus ad postula-

tionem etiam Patrum ipsorum Conciliorum, ut patet de Concilio Constantinopolitano primo, ubi Patres in epistola incip. Initio, rogaverunt Theodosium Seniore, ut decreta Concilii confirmaret, ibi: Cupimus à te humanissime, & piissime Imperator, diplomate tua Synodi resolutionem confirmari. . . placidè Synodi ad finem perducta subscriptione tua munus; & consimiliter reperitur de aliis. Non officit, inquam, quia licet Imperatores etiam ad petitionem ipsorum Patrum aliquando Concilia confirmaverint, ut Summus Pontifex, sed solummodo testificative, vel receptive, aut executive. Unde ad hoc jurat notare, quod triplex est confirmatio. Prima est confirmatio testificativa, in quantum per ipsam testificatur unio, & concordia in edendis decretis conciliaribus, & talia esse vere, & realiter decreta edita in tali Concilio; Secunda est confirmatio executive, in quantum per ipsam recipitur, ut acceptantur decreta Concilii; & præcipitur coercitive exequi, & observari etiam à contradicentibus, & rebellibus. Tertia est confirmatio auctoritativa, in quantum per ipsam decreta Concilii auctorizantur, ut divini revelationis conformia, & præcipitur haberi à tota ecclesia tamquam regule fidei, & morum, simulque exacte observari. Hinc prima, & secunda confirmatio potest fieri ab Imperatoribus, Regibus, aliisque Supremis Principibus, Tertia autem à solo Romano Pontifice fieri potest private, quoad omnes; unde egregie ait rem. Cardinalis Cusanus lib. 3. de Concordant. Catholice cap. 16. dixit: Summus Pontifex confirmat tamquam auctoritatem præbens Concilio, Imperator vero tamquam testis eorum, quæ gesta sunt, & decreta; & tamquam ea approbans, & recipiens, eisque se subjiciens, & quia Regis ad exemplum totus componitur Orbis, ceteri omnes Concilio obediunt; nullam vero vocem synodicam, vel decretivam, vel conclusivam habet. Ideo cum deprehendimus Imperatores Concilia confirmasse, id fallamur, ut manus auxiliares præberent ecclesiæ.

Definitiones Universalis Concilii legitime congregati, editæ absente Romano Pontifice, non sunt infallibiles sine ipsius Papæ confirmatione; Christus enim non pro Apostolorum Concilio, sed pro Petro rogavit, ut non deficeret fides ejus; Lucæ 22. ibi: Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Unde infallibilitatem in definiendo dedit solum Petro, & ejus successoribus cap. Bretha 9. cap. Hæc est fides 14. caus. 24. quest. 1. & cap. Majores 3. de Baptismo num. 26. ubi num. 30. subjungit, quod licet Universale Concilium Ephesinum II. legitima auctoritate fuerit inchoatum, nihilominus Leo Papa minime probavit ipsius Concilii definitiones, immo illas in sequenti Concilio Chalcedonensi tamquam hereticas damnavit, ut refert Card. Turcremata in summa de ecclesia lib. 2. cap. 100. Nec obstat, quod cum omnia Concilia per Romani Pontificis auctoritatem celebrentur, ut expresse cavetur in cap. Significasti 4. de election. illorum definitiones post imperitiam eis auctoritatem censi debeat Papales, & consequenter infallibiles; cap. Si Apostolica, cap. Si eum, & cap. Hi qui in fin. de prebend. in 6. cap. Cum aliquibus, de scriptis in 6. quia ex l. 1. §. Sed neque Cod. de veter. jure emulcan. Omnia nostra facimus, quibus auctoritatem imperimus; & regul. 72. juris 1. 16. ibi: Qui facit per alium, est idem ac si faciat per se ipsum. (Lit. F. pag. 6. col. 1. num. 43.) Non obstat, inquam, quia responderetur, prædictas regulas, & jura procedere in iis tantum, quæ ex sui natura possunt alteri delegari, ut notatur in l. 1. §. de offic. ejus, & dist. regul. 72. Qui facit per alium. Infallibilitas autem j determinationibus, & definitionibus præstantibus

bus ad dogmata fidei non est alteri delegabilis & communicabilis, quia fuit divinitus collata solum ipsi Petro, & ex Petri persona illius successoribus, ut ex cit. cap. 22. Luc. cit. cap. A recta 9. cap. Hæc est fides 14. caus. 24. q. 1. & cit. cap. Majores 3. de Baptismo, Fagnan. l. c. n. 33. Bellarm. lib. 2. de Conc. cap. 11. Malderus disp. 3. de Concil. dub. 1. Cardinal. Petrus l. c. n. 31. & 33. & sic alii passim. (Vide lit. D. pag. 45. column. 1. n. 41. lit. E. pag. 158. column. 2. & 159. column. 1. & verb. Papa.) Concilia generalia à Summo Pontifice confirmata sunt infallibilis veritatis, & errare non possunt, nec in fide, nec in moribus. Oritur autem hæc infallibilitas ex assistentia Spiritus Sancti non ipsi soli Pontifici, sed etiam reliquo Concilio cum Pontifice in unum collecto; Matth. enim 18. expresse dicitur: Ubi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum, id est, ait Concilium Chalcedonense post act. 3. in epistol. ad Leonem Papam: Si duo, vel tres congregati in nomine meo, meam assistentiam accipiunt, quanto magis congregatio tota prælatorum cum capite suo? Joann. 16. dicitur: Spiritus veritatis docebit vos omnes veritatem; unde fidenter pronuntiat primum Concilium hierosolymitanum, Act. 15. Visionem est Spiritus Sancti, & nobis. Hinc est, quod Concilia generalia à Summis Pontificibus approbata, seu confirmata, habentur ab ecclesia tamquam norma ecclesiasticæ veritatis; cap. Canones 1. cap. Sic uti sanct. Evangel. lib. 2. & cap. Sancta Romana Ecclesia 3. dist. 15. Concilia autem generalia ab ecclesia taliter approbata sunt decem & octo: videlicet: Nicænum celebratum sub Sylvstro Papa anno 325. contra Arium negantem Christi divinitatem; Constantinopolitanum primum celebratum sub Damaso anno 381. contra Macedoniam negantem Spiritum Sanctum; Ephesinum sub Celestino I. anno 431. contra Nestorium constituentem duas in Christo personas 3. Chalcedonense sub Leone I. anno 451. contra Eutychem, & Dioscorum statuentes unicum in Christo voluntatem, & naturam. Et de his quatuor primis Conciliis testatur expresse S. Greg. lib. 1. epistol. 24. se illa venerari sicut quatuor libros evangeliorum, cit. cap. Sicut sancti evangelii 2. dist. 15. Constantinopolitanum secundum sub Vigilio Papa anno 557. contra Petrum Gnaphanum Episcopum Antiochenum hæresim partim Macedoniana, partim Nestoriana infectum; Constantinopolitanum tertium sub Agathone Papa anno 681. contra Sergium, Pyrrhum, & alios Monothelitas; Nicænum secundum sub Hadriano I. anno 781. contra Iconoclastas; Constantinopolitanum quartum sub Hadriano II. anno 870. contra Photicum pseudo-Patriarcham; Lateranense primum sub Callisto II. anno 1123. pro recuperanda terra sancta; Lateranense secundum sub Innocentio II. anno 1139. pro Juribus Cleri, & schismate sopiendis; Lateranense tertium sub Alexandro III. anno 1179. contra Valdenses; Lateranense quartum sub Innocentio III. anno 1215. pro reformatione ecclesiæ, & recuperatione terræ sanctæ; Lugdunense primum sub Innocentio IV. anno 1245. contra Fridericum II. Imperatorem 3. vulgo dictum Barbarossa, & pro terra sancta; Lugdunense secundum sub Gregorio X. anno 1274. contra Græcorum errores; Viennense in Gallia sub Clemente V. anno 1312. contra Saracenos invasores terræ sanctæ; item contra hereticos Beguards, & Beguinas; Florentinum sub Eugenio IV. anno 1438. pro reconciliatione, & reductione Græcorum; Lateranense quintum sub Leone X. anno 1517. contra Pseudo-Concilium Pisanum; Tridentinum sub Paulo III. indicium anno 1545. & inchoatum anno 1545. contra Lutheranos, & aliosque hæreticos Novatores, & sub Pio IV. demum finitum anno 1563. Concilium generale non est supra Papam, sed Papa est supra generale Concilium: soli enim Papæ, & in Petri persona omni ejus successori (non autem Concilio, aut alicui Congregationi) dictum est à Christo, Matth. 16. Et ego dico tibi, tu es Petrus, & super hæc Petram ædificabo ecclesiam meam. Tibi dabo clavem, quæ super terram potestatem denotant; regni calorum. Et Joann. ult. vers. 15. Pasce agnos meos; pasce oves meas; etiam Episcopus in Concilio congregatus; & sic scriptus fuit definitum, videlicet ab Innocentio, in cap. Nemo judicabit,

à Symmacho, in cap. Aliorum, ab Antero, in cap. Facta subditorum, à Gelasio, in cap. Cuncta per mundum 9. q. 3. in quorum ultimo habentur (ut aliorum brevitate gratia omitam) præcisa hæc verba: Apostolica Synodus sine ulla synodo præcedente, & solvendi quos synodus inique damnaverat, & damandi nulla existens synodo, quos oportuit, habuit facultatem; & hoc mirum pro suo principatu, quem B. Petrus Apostolus Domini voce & tenuit semper, & retinebit. Et Innocent. III. in cap. Per venerabilem, §. Rationibus, qui filii legitimi. Et clarior à Pio II. in consil. incip. In minoribus agentes: in qua respuens contrariam opinionem, quam adhuc in minoribus in primis defenderat, errorem suum, & scripta humiliter, & ingenuè præbans, docet firmiter tenendum esse auctoritatem pontificiam esse supra Concilium. Quinimo hocdem etiam ipsa generalia Concilia sæpe sæpius declarant; sic Concilium Florentinum celebratum anno 1436. sub Eugenio IV. ubi post sess. 25. tom. 4. Concil. part. 1. pag. 196. sic habetur: Definimus, sanctam apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum Romanum Pontificem successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum; & verum Christi Vicarium, totiusque ecclesiæ caput, & omnium christianorum Patrem, & Doctorem existere, & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, & gubernandi universalem ecclesiam à Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in ægestis Oecumenicorum Conciliorum; & in sacris canonibus continetur. Cui definitioni subscripserunt etiam Imperator Græcorum, & Patres, tam Græci, quam Latini. Et sic etiam fuit definitum in Concilio Lateranensi V. celebrato anno 1517. sub Leone X. ubi sess. 11. n. 4. Conc. part. 4. pag. 120. sic habetur: Solum Romanum Pontificem pro tempore existentem tamquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, & dissolvendorum plenam Jus, & potestatem habere, nedum ex sacrate Scripturæ testimonio, dictis Sanctiorum Patrum, & aliorum Romanorum Pontificum, sacrorumque canonum decretis, sed propria etiam eorumdem Conciliorum confessione constat. Et ibi varia talia Concilia recensentur, quæ brevitate gratia ibi videnda, seu in constitutione Leonis X. incip. Pastor æternus: legenda relinquuntur.

Insuper Concilia ipsa dupliciter agnoverunt se inferiora esse Romano Pontifici. Primo: Quia in decretis generalium Conciliorum clare excipitur auctoritas ipsius Romani Pontificis, ut patet in cap. Significasti 4. de election. vers. Cum omnia Concilia, & concordat cap. Dudum, & cap. Peregrina 3. quasi. 6. & expresse Concil. Trident. sess. 25. cap. 21. de reform. Auctoritas autem non excipitur nisi superioris; cap. Venientes de Jurjur. & dist. cap. Dudum 3. quasi. 6. Secundo: Quia Patres consueverunt petere, & obtinere Conciliorum confirmationem à Summo Pontifice, cap. Multi 5. & cap. Concilia 6. dist. 17. Sicut in specie confirmationem petierunt Patres Concilii Nicæni, & aliorum, & postremo Patres Concilii Tridentini, ut patet supra sub n. 56. §. 58. Confirmatio est evidens signum superioritatis, ut per Bald. in leg. fin. nam. 4. vers. Ulterius nota, cod. de legibus, ubi ait: Nihil est majus, sive sanctius imperio, intellige, nisi Apostolatus B. Petri; cum enim Apostolicus confirmet Principem, istud est manifestum signum superioritatis, ut in authent. de defens. civil. §. Interim. Hæc Bald. quem ad propositum primatus Papæ in Concil. adducit Felin. in cap. 1. in fin. vers. Pro dicto Abbatis, de treug. & pac. Cardin. Alban. in tract. de potest. Papa part. 1. num. 88. Qui propterea hinc deducit, ipsamet Concilia, dum confirmationem petierunt, se Romano Pontifice inferiora declarasse; quod satis etiam constat ex Bulla Pio IV. confirmationis Concilii Tridentini, quæ incip. Benedictus Deus, ibi: Cum autem ipsa synodus pro sua erga Sedem apostolicam reverentia, & auctoritatem Conciliorum negotiis inhaerens, decretorum suorum omnium confirmationem à nobis petierit. Et infra ibi: Hujus auctoritatem etiam ipsa sancta synodus

82 tam reverenter agnovit. Tum quia à sententia Concilii generalis potest appellari ad Papam tamquam ad superiorem, sed non è converso; cap. Cuncta per Mundum 9.

83 *quæst. 3. & cap.* Qui se scit 2. *quæst. 6.* Immo appellantes à Romano Pontifice ad futurum Concilium, eorumque consiliarii, & factores pœnis excommunicationis, criminisque læsæ majestatis diviniæ, & humanæ subiunguntur à Pio II. in *constitut. incip. Execrabilis*: Et decernuntur veri, & indubiati schismatici, & de catholica fide male sentientes à Julio II. *constitut. incip. Suscepti regiminis*: Unde cum appellatio sit de minore ad superiorem Judicem provocatio; *leg. 1. §. Si quis à Judice, ff. de appellat. cap. 2. de consuetud. in 6.* ex quo non possit appellari à Papa ad Concilium, quia esset appellare à superiore ad inferiorem contra naturam appellationis, stat evidenter, quod Papa sit supra Concilium, & non

84 è contra. Quid plura? Auctoritas Romani Pontificis supra Concilium, ultra quam quod fuit expresse definita à Leone X. in *Concil. Lateranensi V. sess. 11.* ut patet ex ejus verbis relatis *sub n. 77.* habetur ad præsens etiam expresse definitio ab Alexandro VIII. qui 7. Decembris 1690. hanc in ordine 29. propositionem damnavit: *Futilis, & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium æquivalens auctoritate, & in fidei questionibus decidendis infallibilitate.* Et prius 4. Augusti ejusdem anni 1690. *constit. incip.* Inter multiplices: proscripterat quatuor propositiones editas in Comitibus Gallicanis de anno 1682. quarum secunda auctoritatem Concilii supra Romanum Pontificem elevabat, per sequentia verba: *Sic autem inesse apostolica Sedis, ac Petri successoribus Christi Vicariis rerum spiritualium plenam potestatem, ut simul valeant, atque immota consistent sancta æcumenica synodi Constantiensis à Sede apostolica comprobata, ipsaque Romanorum Pontificum, ac totius ecclesiæ usu confirmata, atque ab ecclesiâ Gallicana perpetua religione custodita, decreta de auctoritate Conciliorum generalium, quæ sess. 4. & 5. continentur; nec probari, qui eorum decretorum quasi dubie sint auctoritates, ac minus approbata, robur infringant, aut ad solum schismaticis temporis Concilii dicta detorqueant.*

85 De Romani Pontificis auctoritate supra Concilium generale non est, quod disserat, nam ea communiter admittitur à Theologis, & Canonistis; confer Binner. in *apparat. ad Jurisprud. eccles. part. 3. cap. 1. q. 6. per tot.*

86 Ex hac autem Pontificis Romani auctoritate supra generale Concilium I. inferitur, quod à Romano Pontifice, ut recte monuit Auctor, appellari nequeat ad Concilium generale. Appellatio enim de sui natura fieri debet ab inferiore ad superiorem. Non est itaque quod à Pontifice Romano appellari queat ad Concilium generale: Neque (ita opinat Christianus Lupus *de appellat. c. 19. editio. Venet. ann. 1743. fol. 90. column. 2.*) in damnatum hanc appellandi temeritatem ullus unquam antiquis ecclesiæ secularis prorupit, nisi à turbulencia infamissimi Donatistæ. Dico antiquis ecclesiæ secularis, etenim in novissimis, quibus iniquitas abundare cepit, temporibus, neam resumpsit turbidus spiritus Fredericus II. qui primus à Gregorio IX. ad Romanam, ac postea ab Innocentio IV. ad Lugdunensem synodum evocatus de hæresi, atque aliis criminibus respondere, per Thaddæum legatum, suas primum Lugduni exceptiones proposuit, ac ob illas à secunda depositionis sententia non retrocedente Pontifice appellavit, ut scribit Mathæus Paris, ad Concilium futurum generalis, eo quod omnes Prælati, & Principum Oratores non essent presentes. Verum perrexit Pontifex, exiitque Fredericum, & imperio & ecclesiastica communione. Eandem in foveam sese à Bonifacio VIII. excommunicatus projecit Philippus Pulcher Gallie Rex, eique non solummodo Gallicani Proceres, sed & quidam Episcopi adhasere, quos obsecrat, ut Bonificium spirituali gladio absum in ultiores excommunicationes prorumpere sinerent; pollicitus se congregandæ synodo pro viribus adisurum. Sciebat Philippus, rem à se tentari irregularem. Hinc salva à se omnia Romanæ ecclesiæ privilegia protestatus est, & magi contra solam Pontificis personam, eamque de hære-

87 si accusavit. Sciebat enim non nisi ex manifesta hæresi ad versus principes claves posse quidpiam attentari. Sic à Joanne XXII. appellans Ludovicus Bavarus dixit sibi questionem non esse de potestate papali, aut jurisdictione ecclesiastica, sed de temporalibus Imperii juribus, quæ Joannes violenter per arma potius, quam per apostolicas claves invadebat. Notat à papali sententia appellationem rem esse minime christianam. Et quem finem ambo hi Principes habuerint, novit mundus universus. Ad eundem Christianum Lupum *loc. cit.*

88 Inferitur II. quod à Concilio generali appellari possit ad Romanum Pontificem. Nec desunt exempla & quidem in sanctis hominibus. Ea habemus in S. Athanasio Patriarcha Alexandrino, & Paulo Patriarcha Constantinopolitano, qui à Concilio depositi appellarunt ad Julium I. Papam, à quo sedibus suis fuerunt restituti; Sozomen. l. 7. *cap. 7.* in S. Flaviano pariter Patriarcha Constantinopolitano, & Theodoro Episcopo Cyri, qui à generali Concilio Ephesino II. appellarunt ad Leonem I. Pontificem; S. Leo *epist. 25. Liberatus in Brevariario cap. 12.* in S. Joanne Chrystosoto idem Patriarcha Constantinopolitano appellante à Concilio, à quo fuit depositus, ad Innocentium I. Gelas. in *epist. ad Episcop. Dardan.* *** Cum indubitatum sit, Concilii æcumenici universalis, & catholicæ ecclesiæ representantis majorem esse auctoritatem, quam cujusvis alterius Concilii, aut Conventus particularis, nequaquam dubitari potest, quin hoc titulo canones Concilii æcumenici reliquorum Conciliorum canonibus auctoritate prævaleant.

89 Inter Concilia æcumenica indubie eo major est eorum auctoritas, ceteris intellige paribus, quo magis ad æcumenicam Synodum accedunt; & majorem totius ecclesiæ partem representant. Recens non est, Concilium aliquod recipi in illis quæ fidem tangunt, licet non ubique recipiantur omnia ejus decreta disciplinam spectantia. Quare priusquam per provincias promulgentur Conciliorum decreta exteriorum disciplinam spectantia, expendenda, & examinanda ab illis quæ jurisdictionis in illis provinciis præsent.

90 In Conciliis Episcopi sunt Judices. Proinde semper concludendum esse ex omnium Sacerdotum, seu Episcoporum sententiis ex libertate prolati, S. Leo ipse supposit; ac per consequens omnes Episcopos qui adsunt esse veros Judices, & eorum sententiis, sive suffragiis conclusio formanda sit.

91 Concilia etiam generalia in particularibus factis non revelatis, errare possunt, nec id obest auctoritati synodi in decidendis, vel confirmandis articulis fidei.

92 Concilia præcipue ad stabilendam fidem, & formandos mores congregantur.

93 Constitutio lata, vel edita solemniter in Concilio generali, si tamen non fuerit publice Communitati promulgata, non obligat etiam presentes, & scientes.

94 Conciliorum præsertim generalium sanctionibus acquiescere nolentes, semper pro hereticis declarati fuerunt.

95 Concilii nationalis auctoritas proxime ad Concilii æcumenici auctoritatem accedit.

96 Hinc quedam Concilia nationalia dicta sunt universalia, plenaria, & generalia.

97 A patribus Africanis statutum legitur, ut synodus nationalis annue haberetur.

98 Sed hoc statutum de convocanda generali synodo anniversaria fuit postea mitigatum.

99 Concilium provinciale auctoritate cedit Conciliis nationalibus.

100 Sicuti pariter indubitatum est provinciale Concilium auctoritate præstare synodis diocesanis.

101 Licet constet, primis ut minus octo seculis Concilia præsertim generalia convocata fuisse per Imperatores, uti perspicuum est ex literis, quibus ipsi præfata Concilia indixerunt, & quemadmodum inter alios notavit Edmundus Richerius in historia Conciliorum; nihilominus & hoc constat, seculo IX. & sequentibus credi cepisse hanc convocandorum Conciliorum auctoritatem penes apostolicam Sedem esse.

110 Ita ut inter speciales prærogativas Romano Pontifici competentes hæc recenseatur, sicuti colligitur ex Dicitur vulgo Gregorii VII. ubi dicitur: *Quod nulla synodus absque præcepto Summi Pontificis debet generalis vocari.*

111 Verum uti & notat D. Fleury in *sua histor. eccles. lib. 63. num. 11.* cum hæc doctrina, prout ex falsis decretalibus extracta, sit pristina disciplina omnino contraria, inferitur, quod hæc Romani Pontificis prærogativa circa convocanda Concilia admitti cœperit solummodo postquam in auctoritatem receptæ fuerunt falsæ decretales. ***

ARTICULUS II.

De his, quæ concernunt Concilium provinciale.

SUMMARIUM.

- 1 *Concilium provinciale unde sit dictum, & quid sit, ad n. 2.*
- 2 *Ejus inditio, convocatio, & celebratio ad quos spectet, & quomodo fieri debeat, ad n. 10.*
- 3 *Quam jure vel consuetudine vocandi sint ad Concilium provinciale, ac utrum penitus omnes eadem vocandi possint facultate, ad n. 25.*
- 4 *Qui vero accedere possint, etiam non vocati, ad n. 27.*
- 5 *Qua pena puniantur vocati non interessentes Concilio provinciali, ad n. 31.*
- 6 *Quo temporis intervallo juxta veterem disciplinam Concilia provincialia celebrarentur, ac hodie celebrari debeant, ad n. 35.*
- 7 *Qua pena coercerentur Metropolitanani Concilium provinciale celebrare negligentes, ad n. 37.*
- 8 *Concilii provincialis celebrandi tota exponitur ratio, quoad locum, tempus durationis, suffragiorum calculum vel ordinem, approbationem, publicationem, &c. ad n. 51.*
- 9 *Quos & quando obligent decreta Concilii provincialis, ad n. 57.*

1 *CONCILIUM provinciale* (sic dictum ex eo quod representet ecclesiam unius provincie per Abbat. in *cap. Græve in fin. de præbend.*) est consensus Episcoporum provincialium coactus ab habente potestatem congregandi, vocatis vocandis de jure vel de consuetudine. Quarant. in *summ. Bullar. verb. Concilium provinciale, num. 2. Navar. cons. 4. num. 3. de verb. significat. & reconcinit. dit cum dictis supra art. 1. num. 5.* Inducere autem, convocare, & celebrare hoc provinciale Concilium, spectat ad Metropolitanum; *cap. Si Episcopus 13. cap. Si quis Episcopus 14. & cap. Propter 15. dist. 18. cap. Quod sicut; §. Præterea, de elect. cap. Sicut olim 25. de accusationibus, Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 2. de reformat. Etiam sine auctoritate Primatis, seu Patriarchæ, *cap. De Conciliis 2. dist. 18. & ibi Præpositus numer. 2. Fagnan. in dict. cap. Sicut olim 25. de accusat. num. 15.* Et hæc Concilii provincialis convocatio debet fieri à Metropolitanano, seu Archiepiscopo pro seipsum, non autem per Vicarium generalem; textu expresso in *Concilio Tridentino loc. cit. ibi: Quare Metropolitanani per seipos &c. Metropolitanano autem legitime impedito, convocatio Concilii spectat ad Coepiscopum antiquiorem; ut litera expressa Concilii Trident. loc. cit. ibi: Seu illis legitime impeditis Coepiscopum antiquior. Et sic etiam ad Coepiscopum antiquiorem spectat convocatio Concilii Sede Metropolitanana vacante, & non ad capitulum Metropolitanam vacante, seu ad ejusdem Metropolitanæ Vicarium capitularem; & sic expresse declaravit Sacra Congreg. ejusd. Concilii in *Tarraconensi 13. Maji 1604.* Idem quippe est Archiepiscopus esse impeditum, & non inter vivos; Bottrus de *synod. part. 1. num. 43. Archidiacon. & Gemin. in cap. Placuit. Bellarmin. & Turrecremata, in cap. Proprie ecclesiasticos, num. 8. Præpositus, in cap. De Conciliis 3. notabilis, dist. 18. Quarant. in *summ. Bullar. verb. Concilium provinciale, numer. 2. Fagnan. loc. cit. num. 17. Barbosa ad Concilium Trident. sess. 24. cap. 2. num. 4. & alii passim. Licet****

enim antiquitus ante Tridentinum, capitulum Metropolitanæ, Sede vacante, convocaret Concilium provinciale, ut docent Pavin. *de potest. capitul. Sede vacante part. 1. quæst. 7. sub num. 2. Bottrus de synod. Episcop. part. 1. num. 43. Quarant. loc. cit. Petra tom. 1. Commemorat. ad constit. unic. Honorii II. sect. 1. sub num. 13. & alii;* tamen post Tridentinum cessavit potestas capituli Metropolitanæ, Sede vacante, celebrandi Concilium provinciale, ac suffraganeos convocandi, & demandata est Coepiscopio antiquiori, ut patet ex supradicta declaratione Sacre Congregationis ejusdem Concilii in *dict. Tarracon. Quarant. in summ. Bullar. verb. Concilium provinciale, numer. 2. in fin. Barbosa loc. cit. num. 4. Petra loc. cit. sub num. 23. Fagnan. Turrecrem. Archidiacon. Gemin. Præpositus loc. cit. sub num. 7. & alii passim. An autem convocare Concilium provinciale, absente, vel impedito, seu mortuo Archiepiscopo, spectet ad Episcopum antiquiorem ex suffraganeis, aut ad Episcopum exemptum, qui cum non sit suffraganeus, elegit intervenire in Concilio provinciali talis metropolis, & est antiquior omnibus suffraganeis? Respondetur spectare ad antiquiorem ex suffraganeis, non autem ad exemptum eligentem, etiam si antiquiorem; sic tenet Eminentiss. Petra *loc. cit. num. 31. resolvit Sacr. Congregat. Concilii in una Burgen. die 17. April. 1649.**

Ad Concilium provinciale vocandi sunt, & admittendi omnes Episcopi suffraganei cum voto decisivo; *capit. Nun oportet, cap. Pervenit, cap. Quoniam, cap. Si Episcopus, cap. Placuit, & cap. Si quis Episcoporum, dist. 18. & expresse cap. Sicut olim 25. de accusationibus; ibi: Metropolitanani... cum suis suffraganeis provincialia non omittant Concilia celebrare, & Tridentin. loc. cit. Quod locum habet etiam in Episcopo electo, & confirmato, quamvis nondum consecrato. Iste enim Episcopus potest interesse Concilio, ac prout de necessitate est ad illud vocandus. Prosper de August. in *addit. ad Quarant. in summ. Bullar. verb. Concilium post q. 6. Barbos. ad Concil. Trident. sess. 24. cap. 2. de reformat. num. 6. & alii. Et hoc etiam est intelligendum de Episcopis exemptis, ut est statutum in Concilio Lateranensi sess. 10. sub Leone X. in *constit. incip. Regimini*; & expresse in *Concil. Trident. dist. sess. 24. cap. 2. ibi: Item Episcopi, qui nulli Archiepiscopo subjunctur, aliquem vicinum Metropolitanam semel eligant, in cuius synodo provinciali cum aliis interesse debeant, & que ibi ordinata fuerint, observent, & observari faciant. Episcopi tamen exempti, qui sunt in provincia romana, veluti qui sunt inter provinciam Pisanam, & Capuanam, non tenentur ad talem electionem Metropolitanani, cap. Nos, de officio Vicar. vic. declaratione Sac. Congreg. Conc. apud Fagn. in *cap. Et si membra 10. de his, que sunt à Prælati, num. 36. & Petr. loc. cit. num. 30.* Ad Concilium provinciale vocanda sunt de necessitate capitula cathedralia, Sede episcopali vacante, & possunt mittere suum Vicarium capitularem cum speciali mandato dandi vocem decisivam. Quarant. *loc. cit. num. 3. q. 4. Prosper de Augustino in addit. ad Quarant. loc. cit. sub num. 3. quæst. 4. Barbosa loc. cit. num. 11. Petra loc. cit. num. 35. Marchet. in prax. Vicar. capitul. part. 2. tit. 11. num. 17. ubi dicit, quod cum ad Vicarium capitularem transeat sine mandato speciali jurisdictionis capituli, Vicarii erit adire Concilium, & votum dare. Vocanda sunt etiam, sua Sede vacante, capitula collegiatarum quasi episcopalem jurisdictionem habentia, ut decisum fuisse à Sacr. Congr. Concilii 19. Decembris 1597. refert Bellius in *Selectis canon. cap. 25. num. 6. Barb. ad Concil. Trident. dist. sess. 24. cap. 2. num. 11. Petr. loc. cit. num. 36. Fagnan. in cap. Et si membra 10. de his, que sunt à Prælati, num. 3. Abbates, & alii Prælati habentes proprium territorium, & jurisdictionem quasi episcopalem exercent esintra ambitum ipsius provincie, sunt vocandi ad Concilium provinciale, & in eo habent votum decisivum. Prosper de Augustino *dist. verb. Concilium post quæst. 3. Barbosa loc. cit. num. 8. Petra loc. cit. num. 39. Procuratores Episcoporum, omniumque supradictorum quasi episcopalem jurisdictionem habentium, si principalibus legitime impeditis, sint speciali manda-******